

PRANCVS SICAMBRORVM REX.



Frācus filius fuit Antharij regis Sicambrorum. Fis post patrem ob plurimas uirtutes anno mundi termillesimo noningētesimo uicesimo sexto rex electus fuit. Sub hoc rege Teutonici populi perpetuo födere coniuncti sunt, ut quæc regio alteri, si opus esset, auxilio ueniret: ob quod födus quidam eis Germanorum nomen impositum credunt. Itaq̄ factum ut tum Gothi Germanię finibus expulsi fuerint. Postea Francus Galliam miserè populatus, cedit, sternit, & incendit quodcunq̄ obuiam habuit. Inde etiam Saxonum & Thuringorum ope adiutus M. Lollium Romanorum legatum prælio uicit, & è Germania fugauit. Itaq̄ is sua uirtute effecit, ut Sicambrī ab eo denuò Franci dicti fuerint. Cum hoc modo Frācus per 28 annos magna gloria suos rexisset, obiit, & Clogio filio Francorum regnum reliquit. Trith.in Franc.regib.